

non esset nouum compositum: Minor etiam probatur, quia nisi de nouo composita substantialia darentur, omnia entia essent idem, vnicūque compositum substantiale, sicque mons & homo essent idem compositū substantiale, quod non modò est contra rationem, sed etiam contra sensum: & hæc sunt rationes principales pro hac doctrinā.

Vt verum fatear, licet hoc admittatur communiter, & vltro etiam nos id admittamus, ab omnibusque fere reputetur doctrina contraria impossibilis, nullo tamen negotio posset defendi à proteruo, dicendo quod Deus non creauerit materiam informem, sed informatam aliquā formā, & quod sicut illa materia, quæ semper perseverat, est ingenerabilis, & incorruptibilis, etiam & forma, cum qua producta est, erit ingenerabilis, & incorruptibilis. & hoc pacto concedendum erit montem & hominem esse idem substantialiter, distinguique solum accidentaliter, nempe in ratione talis, & talis substantiæ, quæ talitas desumetur ex diuersitate accidentium, sicut dicimus, parietem album & parietem nigrum distinguere in talitate, nam ea distinguuntur in talitate, quæ non sunt talia: sed paries albus, & niger non sunt talia entia, ergo distinguuntur in talitate, ita etiam mons & homo.

Nec dicas parietem nigrum, & album distinguere solum in talitate accidentali, hominem verò, & montem distinguere in talitate substantiali, hæc enim Responso petit principium, & est idem, ac si negarem hominem esse viuentem, & instares hominem habere animam, idem enim est esse viuens, & habere animam: tamen à Peripatetica disciplina recedendum non est, tenendumque dari formam substantialem verè informatam, & per suum aduentum compositum Physicum de nouo constituentem.

Pro quarto sic describes formam substantialem cum torrente Physicorum, forma est actus simplex substantialis vnum per se cum materia constituens. Dicitur actus eo quod det esse materiæ perfectum, ac determinatum ad certam speciem, forma enim Physica nihil habet potentia, ratione cuius ab altero actu Physico possit determinari. Dicitur simplex ad reiiciendum actum, qui est ipsum compositum. Item ad reiiciendum quodlibet concretum ex multis actibus inter se, quale est album, dulce, &c. Dicitur substantialis ad discrimen formarum accidentiarum. Dicitur denique vnum per se cum materia constituens, ad distinctionem formæ, & compositi accidentalis, accidens enim cum suo subiecto non constituit vnum per se, sed vnum per accidens.

His suppositis ad intentam in titulo difficultatem descendendum est, quomodo videlicet forma substantialis materialis præexistat in materia, antequam ex gremio eius educatur? Quæ difficultas licet non ita sit famosa nunc in scholis, ex eo quod ordinariè asseratur formam quidem præcedere in potentia materiæ, sed sic præcedere nihil est aliud quam formam dependere in fieri, & in conseruari à materia: & hæc est doctrina vulgaris: Aliter tamen locuti sunt plures ex antiquioribus Philosophis, etiam Catholicis. Quod verò me inducit, vt existimem præsentem controuersiam non ita esse parui momenti,

sicut putant Recentiores. Est, quòd eam videam examinatum fuisse non modò apud Physicos primo Physic. sed etiam apud Theologos, vt apud Aureolum in secundo sententi. distinct. 18. quest. vn. & apud Ioan. de Bacone. Item in secundo dist. 18. quest. vnicū, & quodlibeto 1. quest. 6. & plures alios Theologos in Durandum, Argentinam, &c. Item apud Auicennam primo sue sufficientie cap. 1. & nouo Metaph. cap. 4. Albertum Magnum in Physicis tract. 3. cap. 3. & alios communiter.

Apud quos citatos hæc reperio discrepantes de hac materia sententias. Prima est Auicenna existimantis, quòd causæ secundæ, vbi disposuerunt materiam, v.g. vbi exsiccarunt, & calefecerunt lignum, forma quædam separata, hoc est vltima intelligentia, quæ & ab ipso datrix formarum nuncupatur, formam creet in materia: sed alienum est à veritate hoc Auicennæ placitum, sufficienterque impugnatur ex eo quòd nulla creatura proprijs viribus possit creare, vt ostensum est à nobis in Metaphysica.

Secunda opinio est Alberti Magni primo Physic. tract. 3. cap. 3. quæ tamen ab Authoribus non ita fideliter refertur, Aueris enim putat Albertum tenere contineri in materia initia quædam, & inchoationes omnium formarum. Alij quòd tenuerit Albertus formas in materia præesse secundum suam essentiam: dum verò producuntur reduci ad existentiam, sed certè hæc est mens Alberti verbis proprijs: *Materia est subiectum formarum in enibus. & habet in se habitum confusum formarum, qui habitus imperfectus est, & indistinctus, & hic habitus si accipitur in materia communi, est sicut in genere remoto, si autem accipitur in materia propinqua, & appropriata est sicut in genere proximo, est autem habitus, seu habitualis potestas, quæ materia claudit in se formas plures, vel pauciores, secundum quod sunt propinqua, vel remota, &c.*

Quidam apud Durandum in secundo distinct. 18. dicunt in materia formas præcedere secundum earum entitates inchoatas, diminutas tamen. De Bacone ait formas præesse in materia in quodam esse possibili, quod sit differens à materia, & à quacunque alia re: opinio verò communis est eas præesse in materia, non tamen in esse potentiali distincto à materia.

DECISIO.

**R**esolutio prima: Formæ nullo modo præexistunt in materia secundum aliquod actuale sui. Probatur primo argumento Durandi: Sicut forma præexistit in potentia passiuæ materiæ, sic, imò verius præexistit in potentia actiuæ generantis, sed forma non præexistit in potentia actiuæ generantis, ita vt ipsa forma, vel aliquid eius præexistat ibi, vel aliquid generantis conuertatur in ipsam, ergo multò minus in materia præexistet forma, aut aliquid actualis formæ. Secundo: Generatio est transitus à non esse actuali ad esse actuale formæ, ergo in materia nihil actualitatis formæ debet præcedere. Tertio: Si quid actualitatis formæ præset in materia, vnà cum materia constitueret compositum ante generationem. Quarto: Iuxta communem opinionem formæ substantiales non sunt capaces intensiōnis, & remissionis, nec habent gradum, & gradum,

Opiniones  
varie.

Num. 18.  
Forma non  
præexistit  
in materia  
secundum  
aliquid  
actu-  
ale sui.  
Prob. primò.

Secundò.

Tertio.

Quarto.

Quomodo  
forma sub-  
stantialis præ-  
existat in  
materia.